

conversionem. Nam si ante prædeterminationem istiusmodi irresistibilem & vorticordiam (liceat cum adversariis loqui) nemo se convertere potest, & simul atque irresistibiliter vocatur, eum protinus converti necesse est, jam irrita erit omnis cura nostra atque sollicitudo. Imo si vinea Domini, postquam omnia media necessaria uvis ferendis a Deo vinitore fuerunt adhibita & eo quidem fini, ut ipsa fructus ferret ea mensura & plenitudine, ut ad ipsius vineæ iudicium instituta provocatione eam de sufficientia illorum mediorum Deus convicat, & quidem Deo ob ista media adhibita uvas expectante & aperte de spe elusa conquerente additis gravissimis minis ob latas uvarum loco labruscas, potuit fructus non ferre, imo revera non tulit, sequitur Deum non operari in conversione irresistibiliter A. E. Prius habetur in terminis Esa. V. 1, seqq.

V.

Conversio hominis est actio successiva.

Probamus assertum ex verbis Salvatoris Marc. IV. 16. 17. 18. quicquid enim producit primo herbam, dein spicam, postea fructum plenum in spica, illud ipsum agit successive, quod unum post alterum producit, id successive agit. Homo siquidem convertendus præparatur paulatim per gratiam prævenientem & gradus illius usque ad ultimum conversionis consummata. Primo pulsat Deus cor hominis gradu minori, quem pulsus si homo admittit, sequitur gratia major: gratiam prævenientem excipit gratia excitans, hanc gratia operans, operantem perficiens, ut Theologi nostri loquuntur: alias appellationis gratiæ ejusdem sive gradus sive species apud Bellarminum, Perrotum, Bonaventuram recenset B. Hülsemann. Diatrib. de Auxil. Grat. Disput. I. §. XI. Non igitur talis est mutatio, quæ uno momento statim omnibus suis partibus absolvitur & perficitur; sed habet illa suum
initium